

V c  
2760





Vc  
2760

ORATIONES SOLENNES

D V I A E

Ph. 26, 20/18

In Laudem Diuorum Principum Ele-  
ctorum Saxoniae, &c.

D. MAVRICII,

ET

D. CHRISTIANI

PRIMI

*Anno Christi è virgine Nati 1601,*

*in Aede Paulina pronunciatæ*

à

M. Erharo Lauterbach Iaurano  
Siles. Collegij Philos. in Academia Lipsi-  
ensi p. t. Decano, S. S. Theol. Candidato  
& Scholæ Thom. Conrectore,

LIPSIÆ,

Ex Officina Typographica Abrahami  
Lambergi, Anno 1602.

ad Christiani





Illustrissimo, pientissimo que Prin-  
cipi ac Domino, Domino

## CHRISTIANO II,

Duci Saxonæ, Sacri Romani Imperij E-  
lectori & Archimarschallo, Landgrauio Turin-  
giæ, Marchioni Misniæ & Burggrauio Mag-  
deburgensi Domino suo clemen-  
tissimo.

**Q**uod ab immortalis DEO precati  
sumus, Illustrissime ac pientissime  
princeps Elector, Domine clemē-  
tissime, ut generosissimum pectus  
tuum lucis Diuinæ radijs illustraret; id ab im-  
mēsa eiusdem Misericordia feliciter impetra-  
uimus. Unde corda nostra magnis exultant  
gaudijs ob insignem Illustrissimæ Celsitudinis  
tuæ pietatem, incredibilem sapientiam, ad-  
mirabilem virtutem, egregium Iustitiæ con-  
seruandæ studium, diuinum in Lutherana re-

A 2 ligione

ligione zelum, propensum deniq; studia nostra  
 ornandi iuuandiq; animum. Quæ omnia par-  
 tim breui hoc tempore illustrem in modum de-  
 clarauit I. C. T. partim deinceps pro comme-  
 morabili pietate, sapientia ac virtute sua illu-  
 strius declarare parata est. Quæ enim in Ec-  
 clesia, in scholis, in Republica imminuta colla-  
 psaq; sunt, ea omnia pro potestate à summo cœ-  
 lorum Terrarumq; Principe accepta integra  
 inuiolataq; esse iubes. Agnoscimus i: aq; in signè  
 Dei oonitatem tum erga Ecclesiam, tum terras  
 has uniuersas; quæ Te tantum Principem, tã  
 pium, tamq; salutarem tot dotibus ac virtutum  
 ornamentis condecoratum nobis clementer con-  
 cessit. Pro quo summo beneficio nisi quotidie  
 Deo benignissimo Patri gratias ageremus, &  
 pro Tua Illustrissima Celsitudine pias suppli-  
 cationes iustitueremus; ingratisimi omnium  
 essemus. Oramus autem æternum Deum, ut

I. C. T.

I. C. T. in prosperrimè cœpto & pietatis singu-  
laris & virtutum præclarissimarum cursu be-  
nignè iuuet, & ab omnib. malis immunè præ-  
stet. Quod si fecerit, (ut nullã planè dubitandi  
causam habemus) multũ Orphei statua sudabit.

Ego sanè, qui indignus in conspectum tuum  
serenissimum prodeò, hoc tempore non habeo,  
quo lætitiã, subiectissimum studium, cultũ &  
venerationem I. C. T. declarem: duas Oratio-  
nes hasce, à nonnullis, qui auditores fuerunt,  
admonitus profero, tuoq; Nomini Illustrissi-  
mo nuncupatas consecro: quas ut serenissimo,  
quemadmodum erga complures alios fecisti, di-  
gneris vultu, peto subiectissimè. Cognoscet I. C.  
T. ex iisdem, quàm cupidè Te Dominum ac  
principem clementissimum Academia hæc  
nostra excipiat.

Sunt autem pronuntiatae more solenni in  
laudes Diui MAURICII patris Magni, &  
D. CHRISTIANI I. dilectissimi parentis τῶν

μακαριτων. Ac prior quidem in exemplo D. Mauricij Tuæ Illustrissimæ Celsitudini subiectissimo studio commēdat Scholam nostram, & non iniuria cōqueritur de tenuitate & exiguitate stipendiorum, quæ philosophiæ professoribus, in summa horum temporum difficultate præbentur. Vnde professiones eæ non absq; detrimento studiorum fuuētutis non rarò mutantur. Cui malo difficili sola Celsitudo Tua post Deum immortalem facile mēderi potest. Altera circa Natalem Illustrissimæ Celsitudinis Tuæ decimum octauum bonis omnib. exoptatissimum habita agit cōtra religionis Lutheranæ hostes satis crudeles, qui Dominum parentem T. F. C. perfidè decipere conati sunt, & Ecclesias harum terrarum grauiter afflixerūt. Veritatis patrociniū cōtra maleuolos susceptū esse pius lector quilibet deprehendet. Abs Tua verò Illustrissima Celsitudine princeps Ele,

lor



Etor CHRISTIANE, eâ, quâ par est, subiectio-  
 ne ac reuerentia peto, ut hanc exiguam opellâ  
 clementer suscipiat, & tum mea, tum totius Cõ-  
 munitatis Artium studia pro sua insigni Cle-  
 mentia propter gloriam Dei sibi commendata  
 esse patiatur.

Benignissimus Deus pater Immanuelis  
 nostri Illustrissimam Celsitudinem Tuam cum  
 inclita Aula uniuersa, & hoc nouo anno, &  
 sequentibus plurimis paternâ bonitate regat,  
 muniat, tueatur, & in maturam usq; senectam  
 clementissimè sospitet. Quod ut præstet æ-

ternus Deus propter Filium διαυδρωπου κατ' ἀμφοτε-  
ρον nobis præsentissimum, quotidie orabimus:

Alme Deus qui sceptrâ tenes cœlestia solus  
 Solus & imperia hæc inferiora foues;  
 Dante Magistratus Te præfides omnis in orbe,  
 A Te successus consiliumque venit.  
 Per Te per tua Te iâ Numina sancta precamur,  
 SAXONIAE patria respice fronte DVCEM,  
 Qui benè Felici CHRISTI de NOMINE dictus,  
 Nunc ELECTORIS Nobile Munus obit.

Huic

Huic da Cor, Sapiens, Hunc sacro dirige Flatu,  
 Sit Comes vt pietas semper, & alma Fides.  
 Suffice Virtutes tam Celso Principe dignas,  
 Vnde pia in populos fama subinde volet.  
 Da fidos ipsi VERBI q̄; Aulæq̄; Ministros,  
 Qui Christum vera religione colant:  
 Consilia in melius referantur vt omnia, & omnis  
 Actio sit cultus Maxime CHRISTE tuus.  
 Artes ingenuæ vigeant; Ecclesia crescat:  
 Gaudeat & Domino subdita Turba suo.  
 Sic Astræa soror pacis veneranda fidesq̄;  
 Excipient vlnis publica cuncta suis:  
 Quilibet & terris transacto tempore vitæ  
 Fundet in æternum carmina grata Tibi.

*Hæc pia vota à Deo propitio exaudiri, &  
 in salutem & prosperitatem Illustrissimæ Cel-  
 situdinis tuæ cedere, certo nobis persuasum ha-  
 bemus. Ex Athenæo Lipsico, die Ma-  
 gorum Anno 1602.*

Tuæ Illustrissimæ Celsitudinis


humilimus Minister

M. Erhartus Lauterbach.

I. Oratio.

DE DIVO MAURICIO SAXONE.

*Habita 11. Julij. Anno 1601.*

 Vid hodierno die, Magnifice Domine Rector, Illustrissime princeps CHRISTOPHORE, Tuq; Academiae Senatus inclite, quatuor Facultatum & Nationum proceres lectissimi honoratissimiq;, & vos Nobilissimi & studiosissimi adolescentes, Concio ornatissima, quid hodierno die in hoc templo Mauriciano solenniter peragendum sit, neminem ex vobis esse arbitror, qui nesciat, modo fastos, aut Magnifici Rectoris programma sit intuitus, & quid Quintilis die undecimo ante annos 48. acciderit, non ignoret. Hic enim est dies ille luctuosus, quo diuus Mauricius Saxoniae Dux, creandis Imperatoribus Romanis Viliur, fortissimus clarissimusq; Princeps, Pater patriae, Nutricius Academiae nostrae, verae religionis defensor, libertatis Germaniae vindex & assertor, Rom. Imperij Columna, omnium afflictorum asylum, fortitudinis Miraculum, victor Magnanimus in castris pie fortiterq; expiravit, & ex his terris armorum strepitu bellorumq; tumultu passim turbatis & afflictis ad caelestem Beatorum consuetudinem, & gaudia tranquilla nullis aeternitatum seculis finienda, euocatus est, cum vix cursum annorum triginta duum, aetate breui, sed virtute & gloria perpetua compleuisset. Huius laudatissimi Herois

B

&

& principis memoria hodierna luce celebrāda, beatisq; Manibus eius iusta funerum persoluenda sunt: Neq; immerito.

Si enim tam Græca, quàm Romana Respublica Sapien-  
tiæ, iusticiæq; laude in historijs celebrata viros fortes, qui pro  
salute patriæ, pro aris & focus fortiter dimicantes occubue-  
rant, non modò statuis & monumentis publicè positis: sed  
etiam sermonibus atq; literis cohonestatos decorârunt: quæ  
inhumanitas, quæ iniquitas, quæ impietas esset, Principes  
Christianos, magnitudine animi, virtute, sapientia, rerum  
præclarè gestarum famâ nihilo inferiores, præsertim, si pro  
salute suorum ciuium, imò pro Ecclesiæ & patriæ vniuer-  
sæ incolumitate in acie vel in castris cecidissent, non simili-  
bus prosequi honoribus? Quis stupor esset, quæ amen-  
tia & pati & concedere, vt Verbo cœlesti illuminati & vera  
Dei agnitione imbuti ab Ethnicis hominibus iustitia & pie-  
tate in benè meritos superentur? Quare omnino æ-  
quum foret, & dignum tali confessu Academico, quotan-  
nis Mauricij laudes repetere, gratoq; pectore tam insignem  
heroem prædicare, etiamsi nullum Illustrissimæ aulæ man-  
datum accessisset. Faciamus itaq; officium pietatis, huma-  
nitatis & gratitudinis, ego quidem ad mandatum Magnifi-  
ci Rectoris, quantum hæc vox mea in præsentia potest di-  
cendo, vos verò non solùm auribus, sed etiam æquis men-  
tibus audiendo. Atq; vtinam non tam exiguum tempus ad  
dicendum datum esset, non facile amplissima de Mauricio  
dicendi materia quenquam deficeret. Quia verò breui hora  
conclusa circumscriptaq; est, Oratio mea, ne vni quidem  
anno regiminis Mauriciani, non dicam res gestas exornan-  
do, sed ne commemorando quidem satisfieri potest. Tot  
enim Pietatis, Sapientia, Virtutis heroicæ, Temperantiæ,  
Humanitatis cum grauitate coniunctæ, tot diuinæ fœlicita-

tis euidencia occurrunt documenta, vt omnes Virtutes Imperatoriae, omnia boni & salutaris principis ornamenta in Mauricium solum conspirasse videantur.

Quid ergo? Celebrémne splendidos Mauricij Natales? At hoc à multis haecenus factitatum est: neque quisquam est, qui ignoret, Mauricium Electorem à Friderico Bellicoso dicto, Academiae nostrae ante annos ferme ducentos conditore, primo Saxoniae Electore, à Friderico secundo Placido Bellicosi Filio, itidem Electore, ab Alberto Placidi filio, denique ab Henrico Alberti filio originem duxisse. Quorum singulorum virtutes, si quis etiam firmus & validus exponere oratione conaretur, eum non modo dies, verum etiam vox & latera deficerent. Dicámne de adolescentia & educatione Mauricij? At ista cum alijs adolescentibus principibus multa habet communia: licet egregia heroicae indolis specimina mature ediderit Mauricius. Celebrémne nuptias Mauricij cum fortissimi principis Lantgrafij filia Agnete celebratas? Sed neque hoc singulare. Commemorémne res gestas Mauricij per 12. annos Regiminis? id alio tempore ex parte factum, & singuli anni singulas requirerent orationes: Quò me vertam in tanta materiae copia & vbertate? Exerant alij lacertos oratorios in commemorandis expeditionibus Mauricianis contra immanissimum Christiani nominis hostem Tyrannum Turcicum, contra Regem Galliae Franciscum, contra Electorem Agnatum, contra ipsum tandem Imperatorem Carolum V. Electorem & Lantgrafium ultra promissam fidem in vinculis detinentem: Celebrent honores illos amplissimos Electoralem dignitatem regiae Maiestati propè parem, quam Augustae Vindelicorum publica solennitate à Caesare consecutus est: praedicent expeditionem voluntate Caesaris, toti

1409.

O R A T I O I.

usque imperij sumptibus susceptam aduersus Magdeburgicos, quos per menses quindecim obsedit & oppugnauit, sed ita obsedit, vt constantes Lutheranae Veritatis Confessores nequaquam perderet, verum in gratiam & tutelam postmodum susceptos solaretur, erigeret & confirmaret: Prædicent vltimum, eumq; fatalem Mauricio conflictum cum Alberto Marchione furia bellica, multis Germaniæ locis incendia & vastitatem minante. Mihi, Auditores lectissimi, liceat hodierno parentationis die paululum contemplari aliud quoddam Mauricij Electoris beneficium, quo has terras, quid dico has terras & plurimas Germaniæ oras affecit: liceat mihi de beneficentia Mauricij dicere ea, qua scholas fundauit, Academias fouit, auxit & confirmauit: dum tres ludos illustres aperiri iussit, & hanc Academiam nostram amplissimis beneficijs iuuit & sustentauit. Hoc Mauricij Munus tam præclarum est, tam magnificum, tamq; diuinum, vt reliqua præclare ab ipso atq; fortiter gesta omnia, huic vnico palmam sponte tribuant, ei inseruiant, ei obediant. Excipio solam Palsauianam transactionem, qua reformatis Ecclesijs religionem conseruauit, alijs reddidit, & Germaniam totam cum Electoribus & Principibus suis in pristinam libertatem asseruit. Quod dum facio Auditores honoratissimi, ea qua par est subiectione reuerentia & humanitate peto & contendo, vt me attentè audiat

tis.

Georgius Saxoniae princeps Lutheri hostis *κατωρο* Mauricij patruus sine sobole mascula anno supra millesimum, quingentesimum trigesimo nono Dresdæ obiit. Is cum grauiter decumbens de vita desperaret, Henricum fratrem eiusq; filios Mauricium & Augustum Testamento fecit hæredes, ea tamen conditione addita, vt ne religionem

ponti

pontificiam cui Georgius vnice erat additus, in Lutherana  
 mutarent. Nobilitas & populus, cui Ducis Henrici pietas &  
 religio erat notissima, Testamentum Georgij vbi resciuit, o-  
 rat, vt per legatos Henrici fratris voluntatem exploret. Le-  
 gati Henricum accedunt, Testamentum Georgij expo-  
 nunt, & plurimis rationibus ei persuadere conantur, vt in  
 voluntate fratris acquiescat, religionis mutationem non ten-  
 tet, atq; sic non modo amplissima ditiois, sed etiam magni  
 in parata pecunia alijsq; preciosis rebus Thesauri hoeredi-  
 tatem suscipiat. Henricus legatis pie & animose respondet:  
 perinde ad me accessistis atq; ad Christum Satanas, qui o-  
 stensis mundi opibus a Domino adorari voluit. Num me  
 ita leuem, ita Dei ac pietatis oblitum existimatis, vt conse-  
 quendarum huius mundi opum causa ab agnita veritate  
 coelesti me abstrahi patiar, & diabolo vna vobiscum sup-  
 plexiam? Na multum vos vestra de me fallit opinio. Quia  
 vero Georgius antequam legati responsum Henrici domum  
 reportarent, ex hac vita discessit. Henricus e vestigio fratris  
 populum omne in suam potestatem fidemq; redegit, impia  
 Papistarum superstitionem, immundum Augiae stabulum,  
 in omnib. prouincijs suis fidei R. P. Lutheri & aliorum  
 Theologorum opera expurgauit, Missam impiam abroga-  
 uit, verum sacrae Eucharistiae vsum praecipit, Monachos  
 ignauos ventres e suis latibulis exturbauit, Verbum DEI  
 pure & incorrupte doceri voluit, summam foelicitatem po-  
 pulo vniuerso monstrauit, & paulo post cum naturae & glo-  
 riae satis diu vixisset, aetatis anno 68, vitam hanc caducam  
 cum aeterna & immortali commutauit, Mauricio vna cum  
 Augusto haeredibus & principibus harum terrarum relictis,  
 Mauricius natu maior magna pietatis, virtutis, & indolis  
 patriae expectatione, summo cum suorum ordinum gaudio

Henrico parenti susceptus, eiusque vestigia strenue atque fideliter secutus est. Quia enim cura & providentia Henrici parentis à prima statim pueritia in vera religione educatus veritatem coelestem explosis pontificiorum commentis agnoscere coeperat, tandem ætate matura iudicioque perfecto in ea vnicè acquieuit, & ut omnes subditi idem facerent, summo sibi studio habuit. Cum autem pro sua eximia pietate & prudentia probe animaduerneret, doctrinam coelestem nuper repurgatam sine administra scholarum ope conservari propagarique non posse, cogitare coepit, qua ratione Ecclesiae paulatim crescenti ope & consilio fideli succurreret. Commodum & salutare ipsi visum est, ut bona & redditus praecipuorum coenobiorum Misniae ad Scholarum sustentationem conuerteret. Annuit Clementissimus Deus pio conatu, & fidelem Mauricij animum direxit ac gubernavit.

Primo itaque coenobium Monachorum Portae ad Salam exstructum, & agris, Sylvis, Mola & piscinis mirum in modum locupletatum in liberalem studiorum humanitatis, artium dicendi, & linguarum officinam commutavit, ut in ea 150. Pueri honestis moribus informati & necessaria doctrina pietatis, & artium instituti post annos 6. ad Academica studia & subsellia maiora prodirent, & tam Ecclesiae quam Reipublicae organa salutaria fierent. Factum hoc est Anno 1543.

Anno sequente coenobium Monachorum Misnensium ad sanctam Afram similiter in Scholam mutavit, paterneque ordinavit, ut in ea 100. pueri siue ex nobilibus nati essent parentibus, siue ex honestis ciuibus, gratis alerentur, doctrinaeque erudita imbuerentur. Et has quidem duas scholas ad Ducatum pertinere voluit, ut ex eo pueri bonis ingenijs

praediti



O R A T I O I.

præditi seligerentur vel portæ, vel Misenæ fidelium præceptorum institutioni & disciplinæ submittēdi. Accessit Anno 50. tertia schola illustris, quàm Mauricius Elector apertam esse voluit eorum parentū filijs, qui in Electorali ditione suas habent sedes. Est ea Grimæ ad Muldam, vbi olim fuit Monasterium prædicantium Monachorum ordinis D. Augustini. In qua & ipsa 100. pueri educantur, & ad maiorum scholarum auditoria præparantur. Hos tres ludos, quos ab Illustri fundatore illustres appellamus aperiri iussit Mauricius, vt essent pietatis sacraria, optimarum artium sacella, morum honestatis officinæ, linguarum vtilium amœnissimi horti, in quos teneræ puerilium animorum plântulæ conlita, paulatim succrescerent, temporis successu florerent, & toti regioni fructum & odorem suauissimum spirarent.

Intellexit nimirum pientissimus Princeps, hoc esse præcipuum virorum principum officium, vt scholas fundent, fundatas conferuent, & ad seram posteritatem omni studio propagent: id quæ non solum sacrorum regum exemplo motus fecit, verum etiam gentilium hominum famâ historijs nobilitatâ. Etenim non ignorauit, quàm celebres olim habuerint scholas Græci & Ægyptij, vt de Romanis in præsentia nihil dicam: quæ fuerit celeberrimi illius Licurgi (quem Deum an hominem appellet ipse Apollo dubitauit) Licurgi, inquam, sapientia in præscribendis iuuentuti legibus, in erigendis collegijs, & scholis probè nouit ex Lacedæmoniorum Rep. à Xenophonte Imperatore & Historico clarissimo exposita. Quid Plato; quid Socrates, quid Isocrates, quid Alexandri cognomento Magni præceptor Aristoteles, quid huius successor Theophrastus, quid Romanorum Fabius, quid Plutarchus, quid alij complures de Scholarum vtilitate dixerint, quid senserint, quid scripserint, quid ipso

facto

*Sol. p. 1*

*Sol. p. 1  
sent. 109*

et si  
enrici  
catus  
is ag-  
cto in  
sum-  
a pie-  
coele-  
e con-  
atione  
urre-  
& re-  
m su-  
Deus  
uber-  
ad Sa-  
m in  
tatis,  
vt in  
ia do-  
cade-  
clesiæ  
oc est  
nsium  
erneq;  
nt pa-  
ocri-  
holas  
genijs  
ræditi

facto ostenderint, ex suis præceptoribus cognouit. Quare ad rerum gubernacula euectus curam de instituendis necessarijs scholis primam esse voluit, cum sine Scholis Ecclesiam & Rempublicam incolumem consistere non posse sibi certò persuasum haberet. Quod Mauricij Electoris factum quam præclarum quam conducibile sit Ecclesiæ & Reipub. quamq; laudabile, quæso auditores, paulò altius mecum perpendite.

*Reformatio sanctorum  
& Monachorum.*

Principio quòd Monachorum ignauorum peponum Collegia dissipauit, quòd impios cultus, vt *Missæ* spectaculum omnis mali fontem, *Diuæ Virginis* & aliorum sanctorum adorationem, multiplices conscientiarum carnificinas prohibuit, quòd redditus *Monasticos* non ad profanos vsus retraxit, nonne eo ipso Principe Christiano maximè dignum fecit? Ea enim templa, quæ *Monachorum* inconditis botibus resonabant, eas *Cameras*, ea contubernia, in quibus ignorantia fratres, otio, luxu, voluptatibus diffuebant, in impuro cœlibatu potius insaniebant, quam viuebant, firmamenta pietatis receptacula literarũ, & *Musarũ* domicilia constituit. Quàm facilè fuisset *D. Mauricio* redditus illos cœnobiales vel ad *Aulæ* splendorẽ, vel ad regionis munitiõẽ, vel ad bella, quæ tum passim gliscebant, ducẽda, pro autoritate principali conuertere? Quò minus autẽ id faceret, obstabat vera in Deum pietas, reuocabat cõscientiæ tuta præstanda tranquillitas, reclamabat Ecclesiæ Christi salus & incolumitas. Vtinã, vtinã omnes *Principes*, *Comites*, *Nobiles* passim in agris, *Magistratus* in vrbibus & oppidis *Mauricianum* gererent animum, sacra à profanis separarent, redditus Ecclesijs & scholis olim consecratos, Ecclesiasticos & Scholasticos esse sinerent, in æraria sua non attraherent, aut in alios quosuis profanos vsus conuerterent: quanto florentiores

habere-

haberemus scholas, quanto maiora essent docentium stipendia, quanto frequentiores discipulorum cætus, luventus bonis ingenijs ornata, non ita remissè tractaret studia, si proposita sentiret præmia maiora, non ita multi in templis & Scholis docentes propemodum fame contabescerent. Recitabo auditores historiam de Christophoro Duce Wirtenbergico à Mauriciana pietate & in scholas munificentia non absimilem. Cùm generosus Comes Ludouicus in Oetingen ad reformandas & repurgandas Ecclesias suæ ditionis ab Idolomania & sordib. pontificijs operam Lutheranorum Theologorum requireret, non deerat ipsi beneuolentia & consilium Illustrissimorum Principum Othonis Henrici Palatini ad Rhenum, Georgij Friderici Marchionis Brandenburgici, & Christophori Wirtenbergici. Miserunt singuli suos quosdam Theologos: Christophorus Wirtenbergicus piensissimus princeps D. Iacobum Andreæ ablegauit: huic peculiari Scheda inscripta in mandatis dedit, vt si Comes Ludouicus hoc ageret, quòd bona Ecclesiastica Monasteriorum imprimis ad se rapere inq. suum usum conuertere vellet, Doctor Iacobus nulli amplius interesset deliberationi, sed statim domum se reciperet: Deum n. impunitos non sinere eos, qui manus suas profanatione bonorum Ecclesiasticorum polluerent. Hoc laudabile exemplum Christophori Ducis Wirtenbergici, & Mauricij Saxonis, hodie propriè non dum esset omnibus qui Ministris verbi, Professoribus, & præceptoribus tam exigua præbent stipendia, vt difficulter se suosq. sustentare queant. Olim sub tenebris pontificijs plusquam Cimmerijs & Barbarie scholastica non solum Magistratus, verum etiam priuati homines summa cum voluntate non tantum ordinarios redditus, sed & sua bona largiter conferebant ad conseruauonem Monasteriorum, collegiorum & scholarum.

Munificentia  
D. Wirtenb.  
in Scholis.

Dr. 2  
Iacobus

Nunc tenebris discussis, & luce veritatis per ineffabilem Dei bonitatem denuo accensâ, pulsâ barbarie & literarum, artium linguarumq; nitore & elegantia in Scholas & Academias reductâ, nemo est, qui sollicitus esse cupiat de professorum & præceptorum stipendijs augendis. Interea quotannis fiunt difficiliora tempora, crescunt rerum præcia, res familiaris minuitur. Mercatorum merces satis magno licent præcio; artificum opera similiter ad annonam & quamuis temporum incommoditatem maioris venduntur; agricola quid faciat & olitor forû quotidie docet patres familiâs; solus Doctor scholasticus antiquum perpetuo obtinet, suas merces pluri vendere non potest, eodem Mineruali si contentus esse nolit, alij docendi provinciâ relinquat necesse est. Quid ita? A principû & Magistratus liberalitate totus pendet: quantum hic largitur, tantum ille possidet. Quorsum ista abs te dicuntur, (inquies?) Horsum auditor optime, vt coniunctis votis & vocib. à benigno & immortalis Deo precemur, diuinitus excitari plures Mauricios Saxones, plures Christophoros Wirtenbergicos, qui bona Ecclesiastica & scholastica inter docentes & discentes, ad quos iure pertinet, benignè distribuant, ne sint mulsæ musæ, nostraq; fama famæ, vt in versu dicitur, Ne vtilis professores & præceptores cum vxoribus & liberis suis indigna premantur egestate, ne sanctum opus Domini segnus procedat, ne Deus ad iustam iram prouocatus, tam insignia bona superiori seculo his terris data atq; concessa vicissim auferendo ingratitude hominum seuerè puniat. Exurgat tandem è cineribus Mauricij aliquis, exurgat, oro, qui musas ab inopia & fame vindicet, qui pietatem & humanitatis artes eruditè fructuosèq; profitentes clementer respiciat, qui scholas paulatim collabentes exemplo Mauriciano erigat, foueat, & sustentet:

quod

Nemo enim  
sicut magister  
sufficit  
an

Non. foruon

quod vos omnes, quotquot adestis, qui Ecclesiam, qui Rem-  
pub. saluam florentemq; cupitis mecum, vnicè comprecari &  
exoptare certò persuasum habeo. Quæ omnia ad D. Mauri-  
cij laudum magnitudinem pertinent, qui scholas & in eis do-  
centes discentesq; ita impensè amauit, vt in eorum sustenta-  
tionem sumtus verè Magnificos collocaret.

Porro cogitate auditores. quot parentes in diuersis Mi-  
sniæ, Turingiæ & Saxonix oppidis à magnis curis, difficul-  
tatibus & impensis liberati sint Mauriciana munificentia,  
Scholas enim illas non tantum fundauit, sed etiam vt pueri  
& adolescentes in eis gratis enutrentur constituit. Qua re  
non solum ingenia multorum ad industriam excitauit, ve-  
rum etiam rem parentum familiarem auxit & conseruauit:  
quos gemino eorq; insigni & memorabili beneficio affecit,  
vno, quòd ipsorum filios ad studia suâ beneficentiâ allexit,  
altero, quòd illis ipsis sumtibus, qui in filiorum educationem  
insumendi fuissent, eos locupletauit. Quotus enim quisq;  
studia consecutus fuisset, tum puerili temeritate & impru-  
dentia, qua luuentus ad ocium potius quàm discendi labo-  
res rapitur, auocatus, tum parentum auaricia & tenacitate  
retractus, præsertim cum hoc seculū fato nescio quo misero  
& periculoso, ad corradendum argentiū & ad artes quæstu-  
osas toto impetu feratur. Quàm pauci parentes hodie legunt  
grauissimas rationes à Luthero Tomo 2. 5. & 7. Ienensi  
propositas, quibus monentur & filiorum suorum ingenia  
explorare & summam scholarum necessitatem perpendere,  
Mirum itaq; non est, si pauci etiam de scholarum dignitate,  
præstantiâ & utilitate cogitent.

Multos absterrent studiorum labores sanè non exigui  
per tot annos conuandendi: alios paupertas reuocat, quam  
in literis perferre magni atque excelsi animi est: multos stu-

diorum contemptus nimis frequens ad aliud vitæ genus se-  
 ctandum stimulat. Superbè enim spernuntur literæ earum-  
 que cultores non modo ab indoctis Centauris: sed etiam ab  
 ijs, qui è scholis olim progressi ad rerum gubernacula sunt  
 euecti, qui si vellent, studia docentium & discipulorum citra  
 omnem molestiam impendio ornare & iuuare possent. Hinc  
 multi parentes, qui filios habent ad studia satis idoneos, se-  
 cum cogitant, si filio meo nihil nisi perpetuus labor, nihil ni-  
 si paupertas, nihil nisi odium & contemptus expectandus  
 est, quid est, cur eum studia potius, quam aliud vitæ ge-  
 nus opibus colligendis & odijs declinandis accommodatius  
 sequi velim? sed nec isti homines vitæ scholasticæ sanctita-  
 tem rectè considerant, lucunditatem non sentiunt, usum, què  
 alijs præstat, non vident. Etenim quid vitæ scholasticæ san-  
 ctius, quid lucundius? Quid angelicis turmis Deum in  
 cœlo collaudantibus similis? Quid Ecclesiam, quid Rem-  
 publicam magis conseruat, quam scholæ? In scholis ad-  
 huc commoratur pietas, hæret Veritas & iustitia, sine quib.  
 neq; Christiana, neq; humana vita potest consistere. Quid  
 est, quod pietatem & religionem in animis hominum excitat  
 & confirmat? Scholæ. Quid veritatem in diuinis & hu-  
 manis literis explicat, docet, conseruat? Iterum Scholæ.  
 Quid iustitiæ normam ostendit, quid legum diuinarum  
 pariter atq; humanarum vim euoluit & mentibus instillat?  
 Scholæ hæc omnia. Pietatem & veritatem cœlestem inter  
 auditores suos disseminat doctrinæ Catechetice & sacrarum  
 literarum interpretes: Veritatem humanarum disciplinarum  
 monstrat quisq; in sua arte professor, medicus medicam,  
 moralis moralem, physicus physicam, Mathematicus Ma-  
 thematicam, & sic de cæteris. Iustitiam in scholis esse, & è  
 scholis in forum & publicam hominum societatem prodire

Lain. Viti. Schol.  
 casticæ.

Lit. hinc  
 ind. p. vi  
 Mart. Geor.

qui

qui negat, is solem in meridie lucere negat. Ac quemadmodum veritatis sedes & custodia multò firmior est & diligentior in scholarum pulpitis, quàm in templorum rostris, vbi pleraq; ad rudem & simplicem auditorem accommodata dicuntur popularius & minus accuratè. & dici omnino debent; ita quoq; iusticia in scholis multò est sincerior & apertior, quàm in foro, in iudicijs, in aulis, in quavis hominum societate. Quocunq; enim te veritas, & plurimum sophistices, & multa politica, quæ vocant, schemata, deprehendes. Quæ omnia probè perspecta cognitaq; habens totius humani generis hostis Satanas, vix vlli hominum cætui ita insidiatur, vti scholastico, nec quicquam magis in votis habet quàm vt Christianorum scholas ad vnam omnes perditas euerfasq; videat. Quam ob causam olim fidele Organum suum ulianum Apostatam excitauit, vt non solum Christianorum religionem suo calculo damnatam hostili odio & immanitate persequeretur: Verumetiam scholas eorū omnes abrogare, dissipare, & è rerum natura prorsus tollere satageret. Sublatis enim scholis neque Ecclesiam neq; Rempublicam Christianorum quicquam præsidij vel adiuuenti paucis annis post habituram arbitratus est. Quare pro *Miraculo* & *semideo* habemus meritò aliquem Christianum Principem, qui scholis fauet, qui scholas sustentat, qui scholas ad posteritatem conseruatas cupit. Quæ cum ita sint, auditores, existimabitis omnes, neminem de genere humano præclarè mereri, neminem cultum Deo præstare gratiorem posse, quàm si Scholas iuuet, ornet & amplificet. Præclarè igitur, referente alicubi Megalandro Luthero, Maximilianus Imp. laudatissimus aulicis suis nobilib. Doctores & literatos præse contemnentib. respondit: Ego nobiles & Equites facere & creare possum, Doctores facere

Julianus  
Apostatam

non possum. Ex quo sapienti responso, quid summus Imperator scholis tribuerit. obscurum nemini esse potest. Præclare Lutherus tres tantum *γυγσις* discipulos recensere solitus est, Nicolaum Medlerum, Vitum Theodoricum Noribergensem & Iohannem Spangenbergium: quod hi *non minore curam Scholarum quam Ecclesiarum* agerent, intelligentes nimirum, Deo illarum conseruationem placere, nec posse Ecclesias florere sine scholis. Præclare & laudabiliter fecit Mauricius Elector, qui homines Scholasticos non solum amauit: verumetiam tres ludos illos illustres fundauit: qui Philippum Melanchthonē & cæteros professores metu obfidionis Wittebergâ in Marchiæ oppida profectos ad pristinas docendi functiones humanissimè reuocauit: qui vtramq; Academiam Lipsensem & Witebergensem instaurauit & imprimis hanc almam Matrem nostram, quibusdam nouis pagis, & hac æde Paulina donauit & amplificauit: qui stipendia discipulorum auxit: qui huius Academiae priuilegijs & immunitatibus aliquid detrahere piaculum duxit: qui deniq; gestibus, sermonibus, & re ipsa euidenter ostendit, se de studijs & laboribus scholasticis honorificè sentire, eorum fructum & vtilitatem intelligere, & ad seram posteritatem scholas propagatas velle. Neq; fefellit Mauricium eximia spes & opinio de ludis suis illustribus concepta. Hinc enim intra annos 50. prodierunt multi principum & aliorum magnatum Cancellarij & cõsiliarij: multi Ecclesiarum Antistites & Ministri verbi, multi excellentes professores, multi scholarum gubernatores, multi eruditi, atq; fideles præceptores, multi Iureconsulti, Medici, rerum publicarum præfides, consules, prætores, senatores, denique boni patres familiâs penè innumerabiles: qui omnes suorum studiorum, suorum honorum & ornamentorum

funda.



O R A T I O I.

fundamenta Mauricianæ munificentiae accepta referunt, & in Nouissimo tandem die non minus læto quàm grato pe-  
 ciores prædicabunt. Si enim Salvatore ipso attestante, hau-  
 stus aquæ frigidaë in Christi nomine indigenti propinatus  
 suam tandem commendationem inueniet: quæ elogia, quas  
 prædicationes audiet Mauricius suæ pietatis, & in Scholas  
 beneficentiæ singularis & Prodibunt aliquot piorum paren-  
 tum millia, quorum filij in scholis hisce enutriti, educatiq;  
 sunt, qui Mauricio gratias agent eximias: Prodibunt i-  
 pforum filij, Mauriciani alumni, & alij infiniti, qui ho-  
 rum pietate, doctrina erudita, ope & consilio in Ec-  
 clesia, scholis & Republica vsi sunt, & vno ore Mauri-  
 cium prædicabunt. Quantò tunc exultabis gaudio, ó bea-  
te Princeps Maurici: quàm splendidus, quàm beatus, quàm  
insignis eris, & verè illustris læticiâ & honore sempiterno,  
 immortalisq; Deo demissas ages gratias, quòd te fortissimum  
 Heroem, non modò patri tuo Henrico in amplissimis ditio-  
 nibus suffecerit, Sed etiam pium & heroicum animum ad  
 multa in Ecclesia & Republica salutariter efficienda in-  
 spirarit. Nos, qui in hac miseriarum valle adhuc ob-  
 erramus, pietatem, virtutem, & gloriam tuam admiran-  
 tes & celebrantes, æternam felicitatem beatæ animæ tuæ ho-  
 dierno parentationis die coniunctis animis iterum gratula-  
 mur, tui quòd tam citò carendum fuit dolemus: inte-  
 rim suo quisque loco obnixè studebimus, vt visitan-  
 do, inspiciendo, gubernando, docendo, discendo, &  
 alias necessarias operas præstando tres ludi tui, egregium  
 harum terrarum *κειμήλιον* ad futurum posteritatis emolu-  
 mentum conseruentur, vt Academiae huius almæ matris  
 nostræ bona, redditus, commoda, priuilegia & immunitates  
 omnes constanter & fideliter defendantur, vt ædificia publi-

ca,

*Oratio in unum  
Cantor.*

ORATIO I.

ca, & inprimis hoc Paulinum, quod à te largitore & conser-  
uatore, Mauricianum rectius appellamus factum rectumq̃  
præstetur: deniq̃ vt omnia, quæ ad studia, eorumq̃ susten-  
tationem pertinent, quæq̃ tu beatissime Maurici, salua &  
incolumia esse voluisti orientur, & amplificentur. Quod  
vt à quolibet suo loco, tempore & ordine fiat, precamur suc-  
cessum & felicitatem ab immortali ac misericordi Deo Patre  
Saluatoris nostri Iesu Christi: Cui soli totam inclitam domū  
Saxonicam, & in ea inprimis Dn. CHRISTIANVM II.  
Electorem nouum cū Serenissima Matre & Fratibus incli-  
tis Dominis nostris clementissimis, vna cum Ecclesia & A-  
cademia afflictā, cum toto docentium ac discipulorum  
coetu pijs votis ac suspirijs vnice com-  
mendamus.

D I X I T



I I. Oratio.

DE CHRISTIANO I,  
SAXONIAE ELECTORE, &c.

*Pronunciata in templo Paulino 25. Sept. Anno 1601.*

*Quo Christianus I I. successor legitimus Ele.  
Et oratum suscepit.*



Ecimus hic est annus, Magnifice  
Domine Reſtor, Illuſtriſſime Princeps  
CHRISTOPHORE, omnium ordinum  
& aratum auditores lectiſſimi honoratiſ-  
ſimiq; . ex quo potentiſſimum principem  
ac Dn. Dominum CHRISTIANVM I.  
Romani Imperij Septemvirum. Academiae noſtrae patronū  
eximium delideramus. Quò enim is maiore ſolatio erat atq;  
praſidio Academiae noſtrae, cò acerbior extitit triſticia, lu-  
ctus & ſqualor in quem inopinato eius funere conijcieba-  
mur. Eſſi autem in Eccleſijs & ſcholis ſub huius principis  
regimine nonnulla inclinare periclitariq; videbantur: quia  
tamen improborum hominum, non ipſius Principis ea e-  
rant conſilia, diutius eum ſuperſtitem optabamus, vt depre-  
henſis multorum fraudibus ipſi Electori erga totum mun-  
dum declarare licuiſſet, quòd à fanaticis in religione opinio-  
nibus toto animo abhorruerit. Inter alias conſolationes  
tum temporis luctum atq; maerorem noſtrum non parum le-  
niebat ſingularis Dei praepotentis clementia & bonitas, quae  
pro Chriſtiano Parente concedebat nobis tres generoſiſſi-

D

mos

mos filios, CHRISTIANVM, IOHANNEM GEOR-  
GIVM, & AVGVSTVM: neq; adhuc eosdem nobis inuidet,  
imò paternam erga nos bonitatem illustrem in modum de-  
clarat, dum CHRISTIANVM primogenitum, qui nudiuf-  
tertius annum ætatis decimum octauum feliciter cõpleuit,  
in thronum Parentis piè defuncti collocat: Quo ingenti be-  
neficio ita exhilarantur ciuium animi, vt superior tristitia  
paulatim obliterari videatur.

Quemadmodum enim clementia & amænitas verni  
temporis hilarat animos eorum, qui hyemis rigorem & aspe-  
ritatem antecedentem senserunt: ita hoc tempore animi no-  
stri merito serenantur & recreantur, pietate, illustriq; digni-  
tate CHRISTIANI II. qui Domino Parenti legitimè suc-  
cedit, & vnà cum Electoratu gubernationem harum terra-  
rum, onus Ætna propè grauius suis humeris sustinendum  
accipit. De quo præclarissimæ indolis ac spei optimæ E-  
lectore, quàm plura dicamus, prius de CHRISTIANO I.  
more apud nos consueto dicendum est. Quod dum facere  
contendo, ipsum tempus in quod parentatio ista incidit qua-  
si edita voce à me postulat, vt earum potissimum rerum mē-  
tionem faciam, quæ postremis gubernationis annis euene-  
runt. Quæ propterea nosse interest, vt non modò in tantum  
Principem ne cogitationibus quidem peccemus, sed etiam  
obtrektoribus respondere possimus: & qui principalis fi-  
nis est, vt bonitatem Dei Ecclesiam mirabiliter gubernan-  
tis agnoscamus, eumq; indefessis precibus imploremus &  
solicitemus, ne vnquam deinceps in his terris similes Tragi-  
co Comœdias concedat: sed potius & CHRISTIANVM  
II. Electorem nouum, cui hoc tempore homagium præ-  
stant ciues vniuersi, Dominum nostrum clementissimum,  
& consiliarios eius omnes suo diuino Spiritu induat, vt nihil

ſpectent, nihil decernant, nihil efficiant aut moliantur, niſi quod Eccleſiæ IESU CHRISTI ſalutare, Academiæ noſtræ commodo & incremento, Miniſterio Verbi afflicto ſolatio & patrociniſ, Reipublicæ vniuerſæ paci & incolumitati, ſibi deniq; ſaluti & gloriæ immortalis eſſe queat. Quo labore à Magnifico Rectore mihi impoſito dum perſungor, Auditores honoratiſſimi præſtantiſſimiq; oro & contendo, vt me beneuolè attenteq; audiatis.

## CHRISTIANVS I. ELECTOR

Principium viuendi, ſplendidiffimos natales, illuſtriſſimam familiam, maximos honores, fortunas deniq; ampliffimas accepit, ab illuſtriſſimo potentiffimoq; Principe AVGVSTO parente. At quo viro? quem profectò vera in Deum pietate, conſtanti erga ſinceram religionem amo re & voluntate, indefeſſa patriæ defenſione, perpetuo iuſtitiæ, fortitudinis, temperantiæ ac beneficentiæ ſtudio nôrim vere Principē; qui licet mortuus ſit anno ſupra milleſimū, quingentefimum, octogefimo ſexto, viuet tamen tum inter nos, tum apud exterarum gentes: & ita viuet: vt ſol ſuo ſplendore priuatus citius obſcuretur, quàm clariffima virtutum Auguſti lux in his & alijs terris oborta extingatur. In conſeſſo autem eſt apud omnes, quod igniculi quidam & virtutum ſemina à parente in ſobolem ſæpenumero deriuentur. Quæ res in CHRISTIANO ita fuit perſpicua, & euidentis, vt nullius egeat demonſtrationis. Erat in eo non oris modò ac vultus, ſed totius corporis pulchritudo, vt ex ipſo aſpectu imago quædam virtutis atq; honeſtatis congenitæ emitaret. Mores erant graues ſeueri, compoſiti, magnū & excelſum animum indicantes, & humanitatis tamen atq; facilitatis temperamento conditi. Quemadmodum enim in viro Principe nemo laude duxerit, ſi cuius ſe nimis familiarem faciat: ita

Timon & *μισέυδρωπ* esse non debet: Aulam suam cum Dresda tota ita muniuit, vt quod AVGVSTVS de sua Roma quondam dixit, id de CHRISTIANI Dresda meritò pronuncisri possit, latericiam accepit, marmoream reliquit.

Pietatis suæ documenta non obscura per omnem vitam edidit: Verbum veritatis amauit, Catechesin Lutheri, & quicquid cum ea conuenit, perpetuò magni fecit. Id verò nō saltē præstitit adolescentiæ annis, quibus disciplinæ seueræ vinculis cōstringebatur, sed eo etiam tempore, quo imperium post parentis obitū tenebat. Initio gubernationis tres scholas illustres harum regionū thesaurum preciosum mox visitari iussit, quæ correctionis egebant, emendauit, alimenta auxit, defectus, si qui essent, expleuit, studia vtriusq; Academiæ à Professoribus idoneis & fidelib. tractari amplificariq; voluit. Immunitates & priuilegia non modò non labefactauit, aut in disputationē vocari passus est, sed re ipsa & exemplis probauit & stabiliiuit. Atq; vt omni ex parte paternum ergastudia nostra animū ostenderet, grandem pecuniæ summā in ea conuertisset, nisi præmatura morte fuisset abreptus. Optamus autem, & summa necessitate postulāte expetimus, vt hanc piā, præclaram atq; laudabilem voluntatem Patētis ipso opere compleat CHRISTIANVS II, successor legitimus, cui non minores, quàm Domino parenti suppetunt facultates ac nerui, & ornādi & amplificādi hæc studia nostra, quæ spreta atq; contempta non modò salutem Ecclesiæ Dei, verum etiam aularum & Rerump. incolumitatem ruina præcipiti secū auferent, quē admodum & superiori oratione voce publica conquesti sumus. Quàm seuerus fuerit Iusticiæ patronus & exactor CHRISTIANVS Elector, dicent confistoria, loquetur senatus Aulæ, suprema curia, scabini, appellationum iudices, dicasteria denique omnia fatebuntur. Ac si-

quidem

quidem ex Daniele Propheta probè norat, bonum & salutarè principem esse excelsam arborem ramos suos & folia longè lateq; diffundentem, ijsq; & volucres cœli, & bestias terræ fouentem. & recreantem: ideo imperium, defensionem atq; patrociniū suum ita extendit, & dilatauit, vt ciues vniuersi pacem, ocium, tranquillitatem ac præsidium sub vmbaculo ac clypeo sui principis haberent. Intestinas dissensiones extinxit, bellorum occasionem neq; alijs dedit, neq; armorum consilia suis ciuibus pernicioſa, licet non deessent autores, secutus est. Suis erat solatio & patrociniū, externis terrori & formidini, tantaq; valebat autoritate, vt præcipua Romani imperij columna crederetur. Et vt summatim dicam eximiā salutaris principis ex omni gubernationis parte laudem reportasset, nisi exorcisticum negocium, tanquam pomum ab Eride infernali in medium proiectum, aliquam inde partem decerpere conatum fuisset. Inuidet enim Eris stygia bonis principib. laudē pietatis, iustitiæ, beneficentiæ, & aliarum virtutum, quibus & seipsos decorant, & ciues suos iuuant & tumentur.

Sed quis causam istius mali Electori impinget? quis de falsa doctrina suspicionē ex hoc fonte hauriet? Christiano ne ista indifferēs ceremonia, quæ salutem animarum per se neq; impedit neq; promouet, ita inuisa fuit, vt eam tanquam magicum quiddam & impium ex Lutheranis templis non sine scandalo eiectam exturbatamq; voluerit? Nonne Elector ipse Exorcismi formulâ adhibitâ baptisatus est? quãdo vnquam scrupulus ex hac re per omnem vitã ipsi iniectus? nūquid propterea de baptismi sui veritate, sinceritate atq; integritate dubitauit? quo anno? quo die? dicant, doceant, Exorcismi hostes ridiculi. At nihilominus, inquires. Principis autoritate abrogari cœpit. Esto: Num tu omnia principis

volun-

voluntate fieri dices, quæ, quandoq; Deo permittente, ipsius nomine & autoritate geruntur? Autores primi qui fuerint, lippis & tonsoribus iam notum est. Jurârim equidem eam rem Electori in mentem nunquam venisse, neq; venturam fuisse, nisi pastores nonnulli & Superintendentes suo suarumq; Ecclesiarum nomine Exorcismi abrogationem per literas supplices petissent. Quid verò hosce homines mouerit, & in quorum gratiam id fecerint, hoc tempore nihil attinet dicereres: ipsa de istorum consilio satis superq; testata est.

Electo exorcismum rem indifferentem esse non dubitans, nec quicquam mali suspicans, aliorum Theologorum iudicia & sententias hac de re postulauit: Isti si sincere, si candidè, si constanter, si pie & Theologicè respondissent, Electori facile satis fecissent, suoq; candore, constantia & consilio subsequas paulò post calamitates auertissent. Quia verò totum negocium à Theologis quibusdam improbè peruertebatur, Principis animus non nihil dubius atq; suspensus reddebatur. Neq; per conditionem hominis aliter fieri potuit. Appello enim vos omnes, quotquot adestis, vt cogitetis singuli, quid aliud Principi Christiano accidere poterit, imo quid homini cuiuisq; nisi plane singulari Dei auxilio & inexpectata prouidentia regatur & præmuniatur. Princeps erat propemodum solus, ij, de quorum consilio pendebat, pleriq; erant corrupti, & falsis opinionibus fascinati, qui verò diuersum sentiebant, & resistere salutari consilio poterant, ex aula, ex Academijs, è iudicijs Ecclesiasticis remouebantur, à quibus deniq; fideliter admoneri potuisset, non admittebantur. His de rebus dum cogito, in mentem sæpè venire solet historia de Themistocle, qui pulsus ex patria ad regem Persarum exul confugit. Rex coram audito



Themistocle, sapientiam & animum viri heroicum miratus, Deum suum precari coepit, eam mentem immittere pergat hostibus, vt eiusmodi viros a se expellant. Cognouit nimirum sapiens rex, hostes suos talibus viris orbatos, & seiplos & rempublicam totam perniciosis consilijs, facile euersuros. Quando enim seniores rerum vsu multiplici periti expulsi cedunt iunioribus, Lutherani Calvinianis, viri graues & constantes nouatoribus plumâ leuioribus, quid aliud sequi potest, quam omnis boni ordinis mutatio ac dissipatio? Quod autem suspicio multorum animis in sedit, non modò in Germania, sed etiam in Gallia, Anglia, alijsq; orbis Christiani prouincijs & regnis, quasi princeps religionis totius mutationem suscepit, de eo, non minus accusandi sunt ij ipsi totius fabulae principales actores, qui principis animû tanquam essent dij, in sua se manuhabere arbitrati, quiduis se moliri, mutare, atq; efficere posse sibi persuadebant. Vnde & inter subditos fama mendax & garrula, vt fieri solet, circumvolitauit, qua tanto Heroi non leuis facta est iniuria.

Vt enim verum est commune tritum sermone prouerbum, quicquid delirant reges, plectuntur / Achiui ita è conuerso inficias ire nemo potest: quin praecipuorum subditorum, in primis, qui à latere & consilijs principum sunt, errata, machinationes, iniusta & pernitiiosa consilia in reges ac principes ipsos redundare soleant. iuxta Isocratis sententiam: Magistratum adeptus nullius improbi ministerio in obeundis negocijs vtitor. Nam quicquid ille deliquerit, id tibi imputabitur. Hoc in Christiani historia valde euidens est. Quicquid enim ab ijs, qui Electori in aula & extra aulam à Consilijs erant, subdole consulebatur & fiebat, id omne Principi ipsi ab imperitis ascribebatur. Sic Christianus Elector obtrectatorum voce plurimorum laesus est, eiusq; illu-

stris

stris fama & gloria in multorum peruersè iudicantium animis obscurata. De Alcibiade celeberrimo Atheniensium gubernatore legimus, quòd canem insigni pulchritudine drachmis septem millibus emerit, eumq; cauda amputata per urbem obambulare passus sit, Mirantibus cur id faceret, respondit: populi ingenium noui, ideo dedi, quod de me loquantur Athenienses, nec alterius rei sint curiosi. Mirum non fuisset, si & Christianus eiusmodi canem, vel aliud quoddam animal visu mirabile, circumire passus fuisset, vt populus πολυπράγμων habuisset, quod de principis cane potius, quàm de principe ipso sinistrè loqueretur. Quem tamen contemptum ex suorum fraudibus profectum princeps magnanimus veræ laudis & gloriæ studiosus inultum abire non siuisset, si morte non impeditus omnia planè resciuisset.

Quòd autem falsæ doctrinæ Elector addictus non fuerit, nunc demonstrandum est. Ex Lutheranis parentibus natus Diuus Christianus ab ineunte ætate ad religionem Lutheranam assuefactus veræ pietatis fundamenta iecit: falsamq; doctrinam odisse & profligare à Domino Parente didicit: Et quis vnquam deprehendere potuit, quod viuo Patre à Lutheri doctrina deflexerit, & in partem contrariam inclinârit? Quis omnium probabit, quod quenquam Theologorum Diuo LVTHERO prætulit, quem in oculis in animo gestauit. Non ignorauit sapiens heros, quantis curis, laboribus impensis, quantoq; cum discrimine religio Lutherana fuerit defensa, & à Maioribus laude constantiæ clarissimis ad se transmissa: nouit, quantam vim & efficaciam hæc professio habeat, nouit deniq; quanta cum fiducia illustriissimi Maiores eam retinuerint, quàm consolationem & ipsi inde hauserint. Non itaque minori cum discrimine cura & labore eam tueri, & ad posteros propagare paratus e-

O R A T I O II.

rat. Immo si cæteris probationibus & documentis destitu-  
 eremur, hoc vnicum apud bonos omnes tanti esset momen-  
 ti, & ponderis, vt nunquam sibi persuaderi paterentur, E-  
 lectorem Caluino ex animo fauisse: Ea verò est, quod libel-  
 lum Catecheticum ab authoribus Caluinianis editum, in  
 gynecæo Electorali repertum confestim flammis exurendū  
 sua manu dedit, seuerè animaduersurus in eum, qui dolo ma-  
 lo libellum supposuerat, nisi scelerata fuga suæ salutis consu-  
 luisset. Neq; hoc dubium est quod Elector pronunciarit,  
 Lutherus quod dicit, aut scribit, id verò spiritus est, & vir-  
 tus viua. Quando de aduersarijs tam honorificum iudi-  
 cium ex Heroë isto auditum est? Lutheri porrò Cateche-  
 sin filijs suis vnicè commendauit, non Catechesin Vrsi-  
 ni, non Heidelbergensem, non illam Witebergensem,  
 viuo Augusto veteratorie consutam. Decumbens iam mor-  
 ticq; vicinus ad filiorum præceptorem graui voce dixit, Dia-  
 bolus tollet te, nisi filios meos in Catechesi **LUTHERI** rectè  
 & fideliter erudieris. Paucis ante agonem diebus mandauit  
 Elector veræ consolationis auidus, vt ex sacris literis & scri-  
 ptis Lutheri conficeretur libellus precationum ad vltimos  
 tres Symboli Apostolici Articulos directarum, cumq; vix  
 vno atq; altero die interiecto puerum nobilem in templum  
 arcis mitteret, inquisitum, nunquid eiusmodi libellus esset  
 confectus, hac voce puerum bis subsequutus est, volo, vt pre-  
 cationes solummodò e sacris Biblijs & scriptis Lutheri com-  
 ponantur. Altero die quo decumbere cæperat, in sacra cœ-  
 næ usu confessionem edidit verè Lutheranam nihil dubi-  
 tans de vera & reali præsentia corporis & sanguinis Domini-  
 ci, de orali manducatione, vt vocamus, indignis cum dignè  
 manducantibus communi.

Quæ cum ita sint, Auditores, quis dubitabit **CHRIS-**  
**STIANUM** Electorem in parentis sui confessione perseue-

E

rasse,

rasse, nec quicquam in doctrinæ capitibus mutare voluisse & Imò cum in feruore contentionis exorcisticæ suspicari inciperet, nō tam ceremonias in his Ecclesijs vsitatas, quàm doctrinam Lutheri peti & deprauari, in has dignas AVGVSTI FILIO voces erupit: Si resciuero, meos aulicos & Theologos religionis patritæ mutationem moliri, experientur profectè & sentient, me multò seueriorem vindicem & veritatis defensore, quàm fuit AVGVSTVS Patres meus. Quæ verba iterum ab omni suspicione Calvinismi Christianum exoluunt, & in apertam doctrinæ Lutheranae lucem constituunt.

De quo hæctenus ista sunt dicta & Nempe de eo, qui Principis AVGVSTI in Lutherana fide clarissimi filius fuit charissimus: qui à prima adolescentia LVTHERI doctrinam amauit, magnificè, coluit: qui misericordì Deo sæpè gratias egit ardentes, quod in orbe Christiano, è talibus parentibus, & in tanta luce doctrinæ cœlestis natus esset: qui Theologis à via Lutherana deflectentibus grauissimas pœnas comminatus est: qui toties excanduit, quoties se Calvinistarum patronum apud exteros haberi dicere cognouit: qui Lutheranae religionis vim & efficaciam in vita & morte sensit vberrimam: qui non modò opiniones, sed etiam nomen Caluini odit, & detestatus est: qui generosissimos Filios suos suâ vitâ sibi multò chariores in Catechesi Lutherana erudiri seriò atq; seuerè præcepit: qui Catechesin adulterinam flammis deuoradam dedit: qui deniq; confessionem Lutheranam paulò antè beatam analytin constanter, & sine vlla hæsitacione edidit, & in ea ad extremum vsq; spiritum perseuerauit.

Quod verò Exorcismi causa non leuem his terris maculam inussit: quòd magnas turbas excitauit: quòd graues quibusdam bonis viris calamitates peperit: id non Electori,

sed diabolo eiusque ministris directe imputandum est. Quomodo enim ille, qua in doctrina Lutheri nihil unquam desideravit, tam deplorandæ rei autor existere potuisset? qui sinceros Doctores ornandos tuendosque semper censuit, cæteris fuit iratior. Causa tanti mali modo ostensa est. Fuit diabolus ab initio repurgatæ doctrinæ nulli terræ infestior, atque huic, quæ Saxoniam paret Electori. Crebris itaque mutationibus veritatem, si non planè abolere, saltem in dubium vocare, eiusque sinceros & constantes confessores in discrimen adducere omnistudio & conatu molitus est. Quàm ad rem conficiendam semper incitavit quædam insolentia & superba ingenia, nouitatis studiosa, effusè curiosa, quorum administra ope in dilatandis regni sui finibus usus est, qui Lutherum Lutherique sectatores incolumi dignitate esse noluerunt. Machinatus est hanc pestem adhuc viuo Luthero, ut iam alio tempore dixi. Molitus est sub Augusto Electore qui per Dei gratiam, suamque singularem curam & vigilantiam patefactis perditorum hominum insidijs omnem perniciem à se ipso, ab aula, ab Ecclesijs & scholis, à Rebus publicis denique auertit, & in ipsos profligati pudoris autores actoresque conuertit.

Machinatus est idem malum sub Principe Christiano. suam operam sti enuè dicantibus ijs ipsis, quibus Princeps optimus, suam vitam, salutem, fortunamque omnes committetas, ijs ipsis, quos omni studio ac fide calamitatem omnem à principe, à Repub. tota, ab his terris vniuersis auertere debebat, qui lumina Ecclesiæ scholarum columnæ, veritatis asyla esse debebant, hi partim superbia, partim spe & confidentia res nouas & inauditas efficiendi, partim falsis opinionibus, fascinati & Dominum, & Ecclesiam malitiosè deceperunt. In his, his inquam terris, in hac verbi diuini sede & cu

stodia, in sanctissimo grauisimoq; Electoris consilio, in familiaritate, in Ecclesijs, in Academijs, in Scholis, in Consistorijs, in singulis penè oppidis fuerunt, qui iniqua consilia agitârunt, qui principem doctrinæ non Lutheranae patronum apud exteras gentes proclamârunt, qui de pastorum, Superintendentum, Professorum & præceptorum Lutheranorum' pernicie cogitârunt, qui, vt ipsorum verbis vtar, Formulam Christianæ Concordiæ in crucem actam voluerunt, qui deniq; intestinam aliquam pestem huic regioni moliti sunt. Hi cum viâ rectâ ad metam sibi propositam peruenire non possent, obliquâ incedebant semitâ, in Exorcismi abrogatione suarum machinationum fundamenta iaciebãt, per quam non vnus ceremoniæ abrogationem, sed totius religionis mutationem meditabantur. Hinc omnia Wittebergensis Scholæ pulpita doctrinam Calvinisticam sonabant: Hinc in hac nostra vespertilio quidam impudens & indoctus confessionem notham & spuriam Augustanæ illibatae atq; integræ præferebat: Hinc pro concione publica grylli Cingliani audiebantur, hinc multi viri pij & fideles ad electionem è Ministerio, è Consistorijs, ex Academia, ex alijs muneribus publicis designabantur. O audaciam, ô impudentiam, ô improbitatem hominum. Etsi autem consilia istorû terræ vniuersæ erant notissima: attamen ita callidè, ita dissimulanter agebant, vt princeps cura rei Equestris, negotiorum politicorum, ac venationibus occupatus, fraudem non deprehenderet. Cum itaq; Elector id neque per se sciret, neq; aliunde audire posset, ignoratione eius ad multorum afflictionem abutebantur. Num ille, si fucum rectè deprehendisset, Cinglianis potius, quam Lutheranis: maleuolis, quam probis & fidelibus patrocinio solatioq; fuisset? Vnius atque alterius ministri religionem potius, quam suam & charissimi

parentis

O R A T I O II.

parentis fidem celeberrimam defendisset : Non enim vidit, ut iterum repetam, quid causæ esset, fucum ipsi facientibus illis, quorum industriæ in rebus expediendis fauebat, quorū ingenio studijsq; politicis delectabatur. Quod si vidisset, quouis profectò quàm istomodo agi voluisset. Quæ tamen improbitas, ab hoc eodē pietatis ac iusticiæ amanti, Heroë haud dubiè vindicata fuisset, si Deus longiorem vitæ vsuram ipsi indulsisset. Sed paulò post re ipsa experti sunt, quod in prouerbio dici solet, *τοξου επι τὸ νόμον ἐνήγουν*. Vicit enim tantem piorum hominū indefessa oratio, vicerunt gemitus & lacrymæ Altissimum, quæ aulam flectere non poterant : illuxit his terris iterum singularis Dei clementia & bonitas, quæ multos calamitosos erexit & consolata est. Ipse Elector, ne anima eius pia Deoq; placens in errores perniciosos abduceretur nimis maturè cū magno lucru nostro præreptus, & in æternam Beatorum aulam receptus est, postquam trigesimo secundo ætatis anno piè placideq; in Christo obdormiisset.

Etsi autem nullus Regum aut principū coram Tribunali Dei prorsus excusatus est, qui ad suorum ministrorum consilia non eā, quā debet, diligentiam attēdit : tamen Christianum Electorem humano iudicio exemptum volumus, considerantes, tum humanæ naturæ infirmitatem, quæ viris principib. cum alijs inferioribus communis est, tum multiplices & Satanae & organorum eius insidias, quæ principibus præ reliqua hominum multitudine struuntur, tum deniq; rerum agendarum consiliorumq; grauissimorum varietatem. A iudicio diuino Elector planè liberatus est, per CHRISTVM totius mundi Redemptorem, in quem per veram pœnitentiam peccata sua coniecit, & contra pretiosum eius *λέξου* firma fide sibi applicauit, quemadmodū historia Christiani per dies 28. cum morbo difficili patientissimè conflictantis liquidò demonstrat.

*ut hinc m. m. sent. v. m. p. m. d.*

O R A T I O II.

Sed à piè defunctio Christiano I. ad Viuos recurrat oratio mea, Cur tu ista ad nauseam iam repetis, dicat aliquis? Cur in hac communi læticia non iucundiora proponis? Cur vulnus antiquum refricas? Non deest, quod respondeam: Postulat id à me temporis huius ratio, religionis studium & custodia singulis demandata, Satanae rabies & furor, humanorum animorum mutabilitas, ipsa deniq; conscientia me aliud dicere non passa est. Quis anno 26. in animum induxit, tantam *σὺρραξίη* in his terris breui post orituram? Quòd si deinceps in Ecclesia & politia quilibet tum Deo immortalis, tum Principi inclito fuerit fidelis, ista omnia sepulta esse sinemus, neque vllis vsurpabimus sermonibus, Hodierno autem die erant repetenda, vt oculos & animos aperiat & vos Auditores, & cæteri omnes, cogitetisq; sedulo, quid consulendum, quid agendum nobis sit hoc præsertim tempore, quo ex largissima Dei bonitate Electori defuncto legitime succedit CHRISTIANVS II. Elector nouus, cui homagium præstant ciues, non sine læticia insigni, & spe emendationis eorum, quæ collapsa sunt, aut ruinam minari videntur. In quæ tempora inciderimus, vos omnes intelligitis & videtis. Non est, vt respiciatis ad alios, hunc locum, in quo viuitis, considerate. Publica priuataq; veræ ac incorruptæ doctrinæ professio confessioq; in hodiernum diem per gratiam Dei & paternam Domini Proelectoris curam nobis integra fuit & inuiolata, quam vt deinceps quoq; retineatis, omni studio ac pietate prouidete. Quæ sit Academiae facies, quæ priuilegiorum & immunitatû oppugnatio, quæ extenuatio & contemptus dicasterij Ecclesiastici, quæ afflictio, quæ pressura Ministerij publici, proh dolor, notius est, quàm vt proluxa eaq; odiosa commemoratione indigeat: quam tenuia atq; exigua pro ratione huius temporis multo-

publi-



rum sint Professorum stipendia, superiori parentatione diximus: quàm facile aliqua leuissimorum hominum manu publica tranquillitas turbari queat, non est obscurum. Iam quisq; pro ratione muneris sui, & pro conscientia sua, cogitet, in medium consulat. laboreq; , vt tanta Ecclesiæ, scholæ atque Reipublicæ vulnera tandem aliquando coeant & sanentur. Deum immortalem excessivè Lipsiâ Spiritus pacis, concordia & tranquillitatis, qui superioribus annis tam eorundem, quàm diuersorum ordinum animos & corda vinculo pacis colligabat & Emigrauitne omnis candor, veritas, iusticia & dilectio proximi & Cura boni publici & Væ nobis, iterum væ nobis, si spiritus pacis nos desertos reliquerit. Quid aliud futurum putatis, quàm vt mutuis rixis, calumnijs, contentionibus, odijs & insidijs consumi pereamus: Vtinam salui euadant innocentes, quorum vota & consilia pietatis pacisq; sunt socia: dispereant verò, qui Ecclesiam turbant qui Scholas dissipatas cupiunt, qui Rempublicam & ordinem omnem violant & peruertunt. Quàm possem hinc lamentari, si vellem. Religionem Auditores vel vnus ætate & memoria hominis aliquoties repurgatam, & ab improborum corruptelis vindicatam scitis. Agite ergo, finite eam ante omnia curæ vobis esse maximæ.

Non cuius in fronte scriptum est, quæ de Lutherana professione sentiat: nec omnis in animo ita sentit, vti verbis speciosis præ se fert: magnæ sunt animorum latebræ, profundicordium recessus. Restat itaque, vt omnes in vera pietate & contentione vnum velitis, qui eiusdem Salutis participes esse cupitis. Restat, vt deinceps acrius vigiletis, constantius, si opus sit resistatis, fidelius, maturiusq; Principem de instantibus malis præmoneatis, nec tam diu conatibus diaboli & satellitum eius conuiueatis, donec priuatas res atq;

publi-

O R A T I O II.

publicas horrendis calamitatibus inuoluat. De cæteris, quæ  
Academiam, quæ verbi ministerium, quæ scholas, quæ vni-  
uersam Remp. attinent, ita sitis animati atq; affecti, vt potius  
vitam profundere, quàm vnius confusionis in publicis ordi-  
nibus autores existere velitis. Et vt paucis omnia comple-  
ctar: ita quisq; erga Deum & erga proximum se gerat, ne vlla  
ratione inclito Electori gubernationem difficiliorem redde-  
re videatur. De Principis Electoris Christiani secundi cle-  
mentia erga nostrum ordinem non dubitabitis. Est enim in  
eo indoles generosa, quam hætenus excitauit recta & lau-  
dabilis institutio: vnde ipsum magno bono patriæ & Aca-  
demix futurum sperabitis. Multum etiam momenti habituræ  
sunt piæ preces, quæ in congressionibus Ecclesiasticis  
in Scholis, in priuatis ædibus hætenus pro ipso fideliter fusæ  
sunt, & fundentur deinceps. Ipse Elector Christianus me-  
mor est, eritq; perpetuò verborum, quæ ex sapiente & Ma-  
gnanimo parente audiuit vltima, de Colendo timore Dei, e-  
iusq; ope & auxilio in actionibus consilijsq; omnibus vnice  
expectando. Ac quia pietatis & iusticiæ amans est, non mo-  
dò ipse has virtutes colit, sed etiam ab alijs seuerè requirit.  
Sapientiam & auctoritatem cum Salomone ab ipso Deo pe-  
tit, & secundum Agelilai Apophthegma, Principis esse sta-  
tuit, non mollicijs, delicijsue, sed temperantia, ac fortitu-  
dine, maximè verò pietate & sapientia antecellere alijs, cum  
nihil seruilius abiectiùsue sit, quàm gulæ atq; ventris volu-  
ptatibus obnoxium viuere.

Nec verò dubitabitis, quin ad exemplum diuorū Princi-  
pum, MAVRICII, AVGVSTI, & CHRISTIANI pu-  
ram & incorruptam doctrinam cœlestem, sicut à Reueren-  
do patre LVTHERO repurgata est, & cuius summa in no-  
stra Catechesi in Confessione Augustana & formula Chri-  
stianæ Concordiæ extat, non solum pio studio in Ecclesijs, &

Scholis

O R A T I O II.

Scholis harum terrarum conseruaturus, sed etiam ad exteros & posteros fideliter propagaturus sit. Commendamus itaq; ipsius Celsitudini Academiam nostram, & in ea omnes Facultates, omnes Professores, omnes docentes & discentes cum immunitatibus & priuilegijs, totum corpus cum membris omnibus ac singulis oramusq; humilime, vt tanquam pater beneuolus ac beneficus eam foueat, ornet iuuet, ac sustentet, ab omnibus iniurijs potenter vindicet, & veluti pupillam oculi sui charam sibi commendatamq; esse patiatur.

Quod superest nouam hanc dignitatem in Romano Imperio amplissimam, illustrissimo Principi ac Domino, CHRISTIANO II. D. N. clementissimo felicem, auspiciatam atq; salutarem vno corde atq; ore pie, reuerenter & humiliter comprecamur, & orationem hanc pia ad Deum pre- catione concludimus.

**O**Mnipotens, æterne & Misericors Deus Rex Regum, & Princeps Principum omnium; Pater Domini ac Saluatoris nostri Iesu Christi, qui solus stabilis & transfers regna mundi, & se- riò præcipis, vt omnis anima subdita sit potesta- tibus, flexis cordium nostrorum genibus suppli- ces ad thronum gratiæ tuæ accedimus, teq; inuo- camus pro Principe & Electore nostro CHRIS- TIANO II. quem loco parentis ante decenniũ pie defuncti his terris Ducem ac gubernato- rem hoc tempore constituis, da ipsi cor pium & humile in conspectu Maiestatis tuæ, Sapiens verò, intelligens & inuictum in gubernatione ac

F.

defen-

defensione populi tui. Solus enim tu es, in cuius manu est potestas principis: tu sedes superborum ducum destruis, & sedere facis mites pro eis: rege atq; iuua ipsum tuo sancto Spiritu, vt Verbum tuum reuerenter audiat, verâ fide atque firmâ assensione amplectatur, & sit custos tabulæ vtriusque, Nutricius Ecclesiæ, clypeus terræ, patronus ac defensor Academiae & studiorum nostrorum. Largire ipsi, ô benignissime pater, fideles sincerosq; Theologos, veræ religionis amantes, Sapientes & ἀπροσωπολήπτες consiliarios, qui munera nō accipiant, qui controuersias rectè discernant, suo Principi fideliter omnia referant, iusticiam colant, & iniquitatem omnem è medio tollant. Concede quæsumus ipsius Celsitudini vires animi ac Corporis, firmamque valetudinem: arce ab eo omnes insidias & incommoda, eumque cum serenissima Matre pietate nulli secundâ, cū fratribus & sororibus generosissimis, cum vniuersa domo Saxonica ita rege & gubernata, vt totus mundus intelligat, te Dominum Deum nostrum huius CHRISTIANI sapientiæ ac potestati omnem Reipublicæ dignitatem, omnium ciuiū salutem, vitam, libertatem, bona fortunæ, domicilia deniq; omnia tutò commisisse, vt per-

petuò

ORATIO II.

petuò sanctificetur Nomen tuum, Regnum tuum  
adueniat, voluntas tua à nobis fiat, Academia  
floreat, studia & labores nostri prosperè feliciter-  
que succedant, tota republ. crescat, & incolumis  
conseruetur, & nos subditi omnes Vnà cū Magi-  
stratu nostro tibi, ô Aeterne Deus gratias aga-  
mus pro immensis beneficijs tuis tum in hac  
vita, tum in altera seculis sempiter-  
nis, Amen.



MC



No. 2760 CA

MC 1047



ULB Halle  
004 789 091

3








Inches 1 2 3 4 5 6 7 8  
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

**Kodak**  
LICENSED PRODUCT

**KODAK Color Control Patches** © The Tiffen Company, 2000

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



V c  
2760

Ex Sil M  
C II II  
ph. 2  
L  
N NES  
m Ele-  
CII,  
ANI  
i 1601,  
ta  
aurano  
ia Lipsi-  
lidato  
brahami

